BOATE

Boot. tractatus valde curiosus et rarus. L.

(2)

DE RE

MEDICA.



HAGÆ-COMITIS,
Apud JOHANNEM KITTO, Bibliopolam.
cIↄ. Iↄc. cIII.



REIPUBLICÆ MEDICÆ PRÆFATIO.



Uid mihi hac nostra præsertim ætate, qua valdè pauci veritatis inquisitioni sint deditì, sed pecuniam, civilem potentiam, & inexplebiles voluptatum delicias duntaxat suspiciant, in mentem venerit de Re Medica, *& primum de* Opio, *Medicamento nobilissimo, & universali anodino, undè vere ò* pium *dictum, perscribere, per multos miraturos prospicio. Non enim jucunda dictu, aut legentibus blanda continet, nec orationes, eventusque varios admittit sterilis hæc materia, & si quis Sapientiæ quod-*

vis studium sectatur, pro insano hunc habent, quippe primam ipsam, vereque sapientiam, quæ Divinarum humanarumque rerum est scientia, ne esse quidem omnino existiment: Medicinam verò, Rhetoricam, Geometriam, Arithmeticam, Musicam, ac reliquas id genus esse quidem autument, cæterum finem earum studiosè persequendum minimè censent. Nec equidem ignoro plures insignes eloquentiâ, Doctrinâ, Judicio, de hac Panacæa abuudè scripsisse, ideoque stultissimum fore me, [ingenium nobis perquam mediocre cum sit] cum illis ævi nostri Luminibus vel ingenio vel eruditione conferre. Quales ex Germanis Paracelsus, quasi Celsus, Hartmannus, aliique, ex Anglis doctissimus Willis, nuperrimè mortuus. Ex nostratibus Blankart, Overkamp, Bontekoe, &c. qui nisi stili nasum condidissent, vel inimico Judici approbari possent, laborumque suorum laude absque tantâ invidia floruissent. Nam difficile est, ad veritatem revocare eos, qui sectæ alicujus servituti se addixerunt, juxta Comici illud.

PRÆFATIO.

Ut Ligna tortuosa nunquam corrigas Virides nec arbor vetus, alio si tranferas, produxerit stolones.

Non ideo tamen cunctatus sum, nec à proposito discedendum cogitavi.

Satis jam sibi Gloriæ quæsitum, & potuisse desinere, ni animus inquies pasceretur opere, inquit Titus Livius Romanarum Historiarum Auctor celeberrimus. Sed rem occultare, quæ ad salutem hominum conducat rustici mihi admodum videtur, decorum enim est posteros pro viribus juvare. Non enim gloriæ stimulis, & aviditate percitus hæc in lucem prodo; sed ut Reipublicæ Medicæ placeam, studiorumque otiosis, hoc duntaxat præmio contentus, quod dum ista meditamur, nos à perversis & obliquis conversationibus subtrahamus.

Loqui Musa dedit Grajis ore rotundo,
Nullius præterquam laudis avaris.

Non dubito multa me præterisse, homo enim sum, & occupatus officiis, succisisque temporibus ista curamus, & hoc

modo pluribus horis vivimus; vita enim vigilia est. Sed Pseudo-Medici, atque jatroaliptæ, qui temerariè depelle humanâ ludunt, magna atque pretiosa in Librorum titulis pollicentur. At cum intraveris nihil minus, quam magnum Elixir, Panacæam, sive universalem Medicinam invenies, quamvis unico statim Pharmaco, tanquam mysterio, omnes statim morbos, se sanaturos audacter jactitant. Non ideo tamen dubitamus multa arcana veteribus ignota hoc sæculo esse reperta. Dies enim diem docet, nec omnia possumus omnes, sed falsæ opiniones animos hominum præoccupantes, non solum surdos sed & cæcos faciunt sectis addictos, & consecratos Medicos ac Philosophos, nam citius Moisi asseclæ & Christi discedent de sua disciplinâ, quam illi qui jurarunt in verba Magistri. Nam

- - - Quo est imbuta recens
Servabit odorem testa diu.

Si Cicero mutuandum præsertim cum de Republica scriberet, quanto causatius in

illâ ætate qua vivimus, ubi morbi non modo multi & fortaſſe veteribus graviores, ſed etiam hominum delicata ſunt, & faſtidioſiſſima hodiè palata; hiſceque temporibus, Medicamenta nova, magiſque efficacia, quam apozemata, tum alterantia tum purgantia, Conſervæ, Julapia, &c. quibus utebantur veteres, cum Chemica nondum ſatis innotuerat, inveniantur: qualia ſunt Extr. Tincturæ, Eſſent, &c: quæ facilè citò tutò atque jucunde cum nullo aut Medici errore aut patientis diſcrimine, vires ſuas per totum corpus diffundunt. Quis ergo hodie niſi ſtolidus repertis nucibus adhucdum glandibus veſcitur.

Tempora mutantur & nos mutamur
in illis
Pollio amat noſtram quamvis ſit Ruſtica Muſam.

DE RE MEDICA
ET PRIMUM
De Universali ANODINO
NEMPE
OPIO.



Edicus qui à medendo nomen accepit, officio fungitur & nobili & magno! Nam utile opus est ægrum pristinæ sanitati, quam amisit restituere; id vero arduum opus, in quo de multis non modo decogitandum, sed statuendum est. Hic enim agitur de corio humano; & vitæ oportet sedulam curam gerere, postquam à morbis in discrimen haud leve adducta est, qui igitur ad infirmos ingreditur Medicus, hoc proponere sibi debet, ut omni animo omni arte ministrâ hoc agat quo æger liberetur, tutò, citò, jucundè, & compendio, ita enim intentum esse decet eum, qui appositè curabit è re atque Opera, non nomine futurus, tum vir bonus, tum prudens Medicus. Sed *res Ardua* vetustis novitatem dare, *novis auctoritatem*, obsoletis nitorem, obscuris *lucem*, fastiditis gratiam, dubiis fidem, *omnibus vero* natu-

ram, & naturæ ſuæ *omnia.* *Itaque* etiam non aſſecutis voluiſſe *abunde pulchrum*, atque magnificum eſt. Verba ſunt Plinii.

Nam bene Arnold. de Vill. Novâ, *compoſitis uti*, ubi *ſimplicia* ſufficiunt dolus eſt, proinde ne *dolum faciat* formulis ſuis Medicus, *pauca eligat.*

1. Notabilis eſt locus Paracelſi de *Opiatis*, „ ubi inquit, *arcana nos deſerebant, miracula* „ *præſtitit ſpecificum anodinum, quod morbos* „ *Exſtinguit, uti ignem aqua nam, addit præterea,* „ *quod quieſcit vel dormit, id non agit, ergo* „ *morbus qui anodino dormit, non operatur, hinc* „ *in ipſo ſomno naturali, ceſſant melancholia, &* „ *animi perturbationes : Imo ne quidem neceſſe eſt,* „ *ut anodina ſomnum efficiant, ſi inde morbi ſom-* „ *num effecerint, idcirco anodina non debent* „ *accuſari, ac ſi lethi ſomnum inducerent*, hæc ille nec abſurde, adeo ut ab eo tempore frequens cœperit eſſe uſus *anodinorum*, & appellari opium præparatum *opiatum laudanum*, à laudato toties remedio. Sed ſchioli & naſutuli multa aggerunt, & *veneni* damnant, quaſi *opiata* ſumme *frigida* calorem & vitam perimerent. Verùm quî amarum frigidum pronuntiaverunt, illi viderint, nam quocumque ſe vertant, nuſpiam obſervabunt, quam id unum modo, quod ab *opiatis* intereant ii, qui nimium aſſumunt, vel qui debilioris non ſunt ferendo, vel qui non aſſuevere, adeo ut.

Opium

Opium noceat 1 dosi
2 debilibus & qui jam non procul à morte existunt
3 Inassuetis.

Nam quod 40 *torporem*, stuporemque adducunt inter noxas *opii* id perperam fit, quia *torpor* ille & *obstupescentia* à *somno* profundiore producitur, ita ut *vigiliis* sponte evanescat, in primis si *dosis* fuerit moderata, atque *opium* non nihil *correctum*, & roborantibus mixtum. Si ergo mortem affert à *dosi* id fit & quia datur, ubi alia potiùs danda erant, quinimo si quem *torporem* causeretur *Opium*, is sane longe minor erit præ illa debilitate & syndrome symptomatum quæ ab ipso *dolore*, aliisque malis proveniunt, si ab *opio* non compescantur. Sed ut quæ dotes huic medicamini insint videamus, age, qua ratione operetur, perspiciamus igitur.

II. *Operatio Opii* in tribus effectibus, consistit, quæ manifestæ sunt paulo post, atque adhibetur. Etenim

1 *Somnum inducit*
2 *dolores sopit*
3 *Excretiones* à violento motu convulsivo inductas, sistit.

Unde patet & quo modo oporetur, & ubi conducat, ubi non conveniat usus *opii* & *opiatorum*, sed ut ratio horum omnium eluceat, exprimenta è *Chemia* & aliunde advocanda sunt. Opium constat ex sale volatili, & pauco oleo, & olei parti-

culæ partim ſunt reſinæ ſp. vin. partim gummi aqua ſolubiles, alii rectius ſuſtinent *opium* multo oleo; & *pauco* ſale volatili præditum eſſe, tum has olei particulas partim eſſe *reſinam*, partim *gummi*, id eſt ex parte in *aqua*, ex parte ab eadem non diſſolvi, tandem quod diſſolvitur, in minimas poſſe redigi *portiunculas*.

De Mannen van 'T NV hebben hare gedagten wegens de kragten van den Opium alſoo geboekſtaeft, welke wy in haer eyge tael kort en compendieus ſullen aentrekken:

Opium beſtaet uit een trager vlugtige oly, als d'aromatijcke met een gedeelte ſal volat, en ſal fix, is bitter door den oly met uitſtekende pijltjes van 't ſal volat, is ſwaer van reuck als een uitgebluſte kaers of dove kolen. Voor ſijn reſineus gedeelte word in ſp. vin. met ſal tart. ontbonden; maer 't lymige ſmelt in 't water, is veel vetter als ſp. vin. en heeft meer acidum, is ſlaepmaeckend. Omvat de zuure vlugtige deeltjes die zy belet met de vlugtige olien en ſouten te giſten; mindert de circulatie en den aenpers, maer meer in de herſſenen als 't hart, om dat die maer een gedeelte van 't bloet hebben, neemt alle pijnen uit woedent zuur weg, belet het zuur uit de Koors, Buick en roode Loop, ſtilt Colijck uitterlijck door 't vertragen der ſuure deeltjes, doet ſweeten om dat door de vertraging niet ongevoellijck maer als water afſcheyt, word gecorrigeert door aromata. Des van minder tot meerder opklimmende tot V. *gr. te veel genomen word geholpen door acida.*

Opium

Opium is veel vetter als ſp. vin. en heeft meer acidum is ſlaep-makend.
ſp. vin: is een ſeer oliagtig ſap beſtaet uit veel acidum.

§ 3. Jam in *phiſiologia* oſtendimus inter alia *ſomnum* ab *oleoſis* promoveri, à *ſalibus* verò *volatilibus prius* arceri. Porro *ſuccum nerveum* ex *aqua* & ſale volatili conſtare, certum eſt. Itaque qui ea præmeditatus eſt ; videt ratione *olei*, ſive *viſcoſæ reſinæ opium* inducere ſomnum, quando ore aſſumptum primo diſſolvitur in ventriculo, deinde inteſtinis, & tandem in *ſanguine*, qui in *cerebrum* defert *liquorem* valde *oleoſum*, unde inficitur *ſuccus nerveus*, imo inficiuntur omnes *ſucci* glandularum adeoque magis *oleoſi*, & quidem *oleo*, quod ex parte reſina eſt, nec diſſolvi ab *aqua*, ſe patitur, imbuti, craſceſcunt, & retardantur, eam vero *craſſitiem*, retardationemque primo & præcipue experire debet *ſuccus* ille *delicatus cerebri* ac nervorum, qui non poteſt non craſceſcere, & hinc inde concreſcere, adeoque ſubſiſtere, quando tam *oleoſus* evadit, & *olei particulis* imbuitur, non uſque quoque ſolubilibus, id eſt *reſinoſis*. Hinc minis expanſus commotuſque *ſuccus*, in *cerebro* & *nervis*, uno & aliis quoque retardatus, tria accidere debent, *ſomnus* ſc. *inſenſilitas* & *minor motus* non modo in *muſculis*, ſed & in *fibris motricibus*: quod ſi *craſſities* paulo major & *retardatio* fuerint, aut ſenſim *craſſities* paulo major & retar-

datio fuerint, aut ſenſim *craſſities*, *retardioque* accreſcant, *motus fibrarum*, omnino ceſſabit, & *opium* alioqui *ſalutiferum* evadet *lethiferum* atque hoc modo operatur *opium*, *Pharmacæum*, quod ex *oleo* & reſina pœne totum conſtat, ubi tantillum adeſt *amari volatiliſque ſalis*, ut ex parte ſolubiles ſint, & in minimas portiunculas, diſſerpantur. Hinc aſſumpto *opio* quatuor ſolutionibus particulæ diſſolventur, & qua qua verſum per omne genus *ſuccorum* diſperguntur, ita ut hac de cauſa *opium* vix in *ſanguine*, flumine adeo vaſto & vehementi, ſed plurimum poſſit in ſuccis tenuioribus *canalium ſubtiliſſimorum*, atque præcipue in illo *cerebri* & *nervorum*, qui præ reliquis hoc habet, quod ex *aqua* tantum & ſale volatili ſubtiliſſimo conſtet; cui ſi *olei* & *reſinæ particularum* vel minimum quid admiſceatur, ilico craſceſcit, aut ſubſiſtit, jam in *opio* non modo plurimum & *olei*, ſive *reſinæ viſcoſæ* ſed tantillum ſalis volatilis, & unde promtius diſſolventur, & ad intima rapiuntur particulæ *pingues* unæ & *reſinoſæ indiſſolubiles*, quarum hæ motui *ſucci* adeo *delicati* & *celeris* obſiſtunt, & anguſtiis viarum reluctantur, illa autem *ſuccum oleoſum*, *lentum ignavius* efficiunt. Unde patet cur *olea ſtilatila*, etſi *oleoſa* hunc tamen effectum non habeant; nam *acria* ſunt *pinguentia*, & exitantia, tum etiam *reſinam* ſæpe non habent, aut valde paucam, imo ſal volatile ſuum non tam arcte retinent, ſed *aqua* cui innatant, nec facile permiſcentur,

id protinus tradunt, unde rurſus diſſolvi & diſpergi in intima nequeunt, ſed in *ſanguine* ſubſiſtentes, ejus *oleo*, quod multum eſt, agglutinantur, ut adeo hunc in finem ex propoſito compoſuit Deus *opium* quod *olei* & *reſinæ* per multùm cum tantillo ſalis volatilis haberet, ex quo etiam patet ſolutio problematis, cur in tam *exigua doſi* tam miranda efficiat *opium* nimirum paucæ particulæ ſufficiunt *ſucco nerveo* incraſſando, aut coagulando, uti unicum moſchi granum ingens ſpatium aëris odore ſuo replet, & *croci* vel *colocynthidis* tantillum magnam aquæ quantitatem tingit, & amarum reddit. Imo capaciſſimum vitrum ſi *aqua* repletur à gelu congelatur aqua, cum hæc interim ne grano ponderis augeatur, vel diminuatur, igitur incraſſando retardandoque *ſuccum nerveum* operatur *opium*, ex quo elucet, cur *ſomnum* inducat, cur *ſenſum* auferat, & cur excretiones, *motuſque fibrarum* cohibeat, cur denique nimium coagulando *mortem* afferat, quibus perſpectis facile illa lis diruitur, an *frigidum* ſit *opium* an calidum nempe.

Frigidum eſſe opium.

Ideo oportet pronuntiare, quia vis ejus ab effectu æſtimatur, non autem à *ſopore* tantum, aut alio quopiam, nam ut veteres, ita recentiores ex veritate aſſerunt, caloris eſſe, ut moveat, incidat, ſeparet, & disjungat particulas, fri-

goris vero ſiſtere, denſare, & ad quietem deducere, jam qui *opium* ſumpſit; non exitatur aut alacrior fit, ſed in ſomnum primo propendit, tum incidit, hinc torpet, ſenſum amittit, vix exitatur, & exitatus languet, quæ omnia phœnomena ſimilia ſunt, iis, quæ refrigerantur, & à gelu exſtinguuntur ſed compertum quoque eſt in iis, quos *opium* perimerat non modo ante mortem frigidos, ſudoreſque actionumque paraliſes, quaſi eſſent congelati, paſſos eos fuiſſe, verum in *cerebro* & alibi quoque ipſum *ſanguinem concreviſſe*, adeo ut ante & poſt mortem in facie & alibi *livores* apparuerint. Itaque hac ratione effectus *opium frigidum* eſt, & ne ſit nimis frigidum anaræ *ſaliſque volatilis* particulæ cavent, quæ id circo huic effectu producendo non ſunt, niſi quod ſolutionem adjuvent quare hinc liceat potius *frigidum*, dicere *opium*, quam calidum ex eo, quod amarum ſit, & culina ignem ardens; quod vero objectionem inde petant, quod *opium* externe admotum nullum *torporem* inducat, & *tumores* etiam *duros* diſcutiat, an hili eſt, nam diſſolvi debet, & ſi diſcutit, ab ejus ſale volatili eſt, quod penetrat, relicto ſequi *oleo*, quid; quod vides experimenti dubio ſit, cum in emplaſtris aliiſque, quibus utuntur, præter *opium* alia potentiſſima diſcutienta applicentur, & de ſolo *opio*, quod diſcutiat, nondum uſu conſtat, ſic ergo viſo operandi ratione, non difficile erit *uſus* & *abuſus opii* ac *opiatorum*, du-

cibus

cibus obſervationibus deſcribere; nam

III. *Utilitas Opii* ubi duas inſignes obſervare contingit, alias appellabimus *ordinarias*, alias *extraordinarias*: hæ raro & certis in caſibus contingunt, iſta verè in pleriſque & paſſim. Itaque,

1. *Ordinaria utilitas* varia eſt & multiplex, *ſi doſis juſta* exhibeatur, & in primis ſi correctum fuerit *opium*, quod quibus fieri debeat, in capite de *materia Medica* dicemus, & jam dicimus in illo quod de *Chemia* eſt, inter utilitates vero ſit,

1. *Somnus*, qui quanti ſit prætii ex ipſa conſtat ſanitate, quæ diu non perſeverat abſque ſomno cum igitur *ſomno* obnoxium hominem Deus voluit, & ab eo *mutatio* potiſſimum, vires & alia pendent, clarum eſt quas triſta utilitates afferre ægris debeant *ſomnifera*, hoc magis quod *vigilia* pleriſque moleſtæ eſſe ſoleant, quare hac in re multi nimis timidi ſunt, cum *ſomnus* adeo ſit neceſſarius, & ab arte exitatus longe majora commoda præſtat, quam *opiata* incommoda afferunt, habita doſis & aliarum circumſtantiarum, & *virium* præcipue ratione.

2. *Doloris diminutio* vel *ceſſatio*: Hæc utilitas tanta eſt, ut ſatis depredicari nequeat & propter eam *opiata* ubivis ferme locum inveniunt, quia raro abſque *dolore* quis ægrotat. Jam etſi aliis quoque remediis ſua laus non ſit denegan-

dum, neque iis uti negliget Medicus, tamen prima debentur opio, quod non modo *tuto* sed audacter, mox atque *dolor* exortus est, dabitur ab eo, qui *cito jucundo* & compendio curare volet, nam nisi *dolores* mox hoc remedio leniantur, ingravescunt, & longum syndroma symtomatum post se trahunt, quæ omnia sæpe arcere licet una alterave *dosi opii* qui neglexerit, intuto colocabit ægrum, & reus erit eorum, *quæ* ex *dolore* non sedato consequuntur, tum etiam non curabit *cito*, quia dolor ingravescens, qui principio facile poterat pelli, deinde difficile abgitur: hoc magis quod symptomata, quæ concitat, non facile etiam curentur, nec etiam cura erit *jucunda dolorens*, quibus *opium* non opponitur, cum ægro molestum sit doloribus affligi, nec est quod vereantur Medici ab initio *dolores* sistere *opio*, quasi non causam, sed sensum tolleret, est enim *opium* inter *temperantia* princeps tum sæpe per *sudores*, alvum & *vomitum* evacuat. Quid? quod si quibus aliis opus est ut *acredo*, &c. tollantur, ea negligi non possint, neque effectu suo frustrabuntur, dato *opio*, idcirco semel in æternum sancimus cujusque *doloris curationem* ab *opio* inchoandum esse, ejusque in usu per servaudum, quoties recrudescit dolor, modo rationem habeas.

1. *Virium*, ne illæ fuerint nimis dejectæ.

2. *Dolorum*, quando inoluerint, ubi parcius utendum opio hinc patet, quam latus usus

opii,

opii, quia tot *doloribus* affligere solent ægri, ubi nonquam non prodest, & dari debet, nisi quando *vires* id non permiserant, aut dolor diuturnus præter *virium dejectionem* alia *mala graviora* secum juncta habuerit, quæ nec *opio* possunt, nec ferunt eam *crassitiem*, quam in *succis* ingerit *Opium*, nam *succi* si fuerint valde crassi & tardi, ubi etiam multæ obstructiones, potius *attenuantia* & *exitantia* desiderant, potest tamen prudenter & parca manu, atque per intervalla *opium* dari etiam his in casibus, modo *salia volatilia* aliaque non negligantur. Sic in *dolore colico* jam usu percrebuerunt *pillulæ* una purgantes & anodinæ, Vidit id quoque primus auctor *laudani opiati Paracelsus*, quia cum *opio* permiscuit *aromata* & fortiora exitantia, ut utraque virtus in sanguinem pertransiret, & devicta prima ac potentiore, altera deinde superstitem crassitiem tolleret, unde jam novum est, una cum *opio*, aut paulo post sal volatile larga dosi propinare, sed fructu, tam nobili, ut noxa, quas alioqui sentirent ab *opio*, omnes arceantur, depellanturque ideo *dolori* cuicumque competit curatio ab *opio*: quare jam usu confirmata est, talis in ipsa quoque *nephritide* ubi ab *opio* acerrimus *dolor* tam feliciter una cum *vomitu* admodum compescitur, ut deinde *calculi*, si qui adsint, sponte & ferme sine sensu, aut cum *dolore* tolerabili à *renibus* in *vesicam* descendant, quod nisi *opium* dederis, difficilius tardiusque fit, quia meatus *ureterum*

con-

constingitur, qui contra apertus manet, sedato dolore itaque.

In curatione dolorum hæc est methodus vera ac legitima, quam ratio docet & usus confirmat, constans canonibus.

1. Mox à principio detur *dosis* Opii, à Minore incipiendo, maxime, qui non assueti.

2. Si una aut altera dosis non juverit, tertia & plures dentur.

3. Si dolor gravis, atque jam una *dosi* quiescere cæpit, antequam *Opii* vires cessaverint, quod 3. vel 4. horis plerumque fieri solet, rursus aliqua dosis, sed minor propinetur, & deinceps hoc modo pergendum, modo ne reliqua utilia omittantur.

4. Mox à fine operarionis *Opii*, aut sub finem dosis larga confortantium, & inprimis salis volatilis puri ne negligatur.

5. Si *dolor diuturnus & vires lapsæ*, *opium* aut non aut parce; & rarius administretur.

Hos qui canones rite observarit, nunquam in usu *Opii* & *opiatorum* peccabit, non mede in *curatione dolorum*, sed ubivis.

III. *Conrulsivi motus repressio*. Hæc autem virtus dependet ab incrassione succorum, & inprimus nervei, à quorum tenuitate & agilitate motus fibrarum pene exitantur, itaque *Opium* incrassando reserandoque *motus fibrarum* cum ordinarios, qui in sanitate, minuit, & si nimia dosi propinatur, sufflaminat, tum violentos inde

multi

multos morbos, egregie compescit, quia hi proficiuntur ab *acredine*, & in ordinato fluxu utrumque vero malum *opium* devincit *temperando*, *optundendo*, *incrassando* & *retardando*: atque hinc est, quod qui *opio* utuntur, ut plurimum alvo *adstringantur*, imo sæpe *urinæ* aliquam *suppressionem* patiantur, & *fames* etiam minui solet ab *opio*, aut si nimia, ita eam extinguit, ut ad moderatam accedat, & vero non levis utilitas *opii* est in compescendis *motibus convulsivis*, nam ideo convenit

1. In *nimiis succorum excretionibus* &
   1. In *vomitu* quem nihil adeo compescit, quam *opium*; sed advertendum an vomitus, debeat compesci; cum enim ab eo levantur ægri, & vires constant tantum ab est, ut compesci, utpotius *emetico* adjuvari debeat.
   2. In *diarrhea*, de qua etiam eadem regula tenenda: sed in hoc casu ut in priore necesse est cum *opio* miscere *adstringentia* dicta, sive certa quædam *absorbentia*.
   3. In *dysenteria*, quam sine *opio* curare vix in Medico est: nam primò *acer* ille dolor *anodyna* expostulat, & gravia *symptomata* inde oriunda, si dolor non extemplo sedatur, deinde motus *convulsivus*, qui hic vehemens hoc medio compesci debet, & ab *anodyno* cum *absorbentibus*, atque *adstringentibus* præcipuè ex *marte* petitis cura facilis

lis est, *tuta*, *cita*, atque *jucunda* simul etiam magno compendio, neque opus est vel *purgatione*, vel tempore quo fluxus sibi relinquitur, nisi quando *dysenteria* levior est cum *diarrhœa* graviore complicata, tunc enim si dejecto parum *sanguinis* nihil *puris* admixtum habet, & viribus integris cum levamine procedit, nec dolores graves sunt, nec anxietates admodum magnæ, licet vel purgante uti, vel fluxum sibi relinquere, at in *dusenteriâ* vera *opium* nunquam negligendum, & si *vires* dejectæ subito fuerint, si *maligna dusenteria*, aut pestis passim sævit, *disenteria castrensis* est, aut alia indicia *malignitatis* apparent, illico non modo *opium*, sed *salia volatilia* sive *sudorifera* exhibenda, quibus *cura* absolvi potest etiam absque *clysteribus* & similis farinæ quibus fatigari potius, quam curari solent *dusenterici*. Sed si *inveterata* fuerit, & jam *ulcus* genitum, & *vires* dejectæ, minus prosunt *opiata*, à quibus ab initio non est, quod metuas, quasi *ulcus sordidum* redderent, cum *ulcus dusenteriæ* non *causa*, sed consequens sit in primis vero rationem habeat Medicus *juvantium* & *nocentium*, adeoque si ab uno, alterave dosi *opii* cum *absorbentibus* & *sudoriferis* data, alvus non reprimitur, nec *dolores* nec *anxietates* leniuntur, vel periculosa erit *dusenteria*, vel *purgante* opus est vel

poten-

potentiore, & repetito *ſudorifero*, cum *maligna* ſcilicet eſt, alioquin in omni *dyſenteria* ex *temperantibus*, etiam *deluentia*, & *oleoſa* inter cætera conveniunt, tandem in hac cura canon eſt, à ratione & uſu confirmata, ut ſcilicet in dyſenteria *opii doſis* tanta ſit, ut ſpatio 24 horarum ad 4 vel 5 grana extendatur: Ita enim fortiter, & ſubito *acredo* temperari, & *motus convulſivus*, *dolores*, *anxietates*, *dejectionſque* compeſci debere, & ſolere modo vires uſquequaque conſtiterint, ratio docet, clamat uſus frequens.

4. In *Cholera morbo* & *hypercatharſi*, quæ ſpecics ſunt, *diarrhea*.

5. In *Hæmorrhagia* qualibet, ubi *opio* cum *adſtringentibus* primo debentur.

2. In *motibus convulſivis* aliis, hinc.

1. In *Vertigine*.
2. In *Mania*.
3. In *Epilepſia*.
4. In *Delirio*.
5. In *Aſthmate*.
6. In *Singultu*.
7. In *Tuſſi*.
8. In *Pleritide*.
9. In *Phtiſi*.
10. In *Syncope* ex *ſuffocatione hypochondriaca*.
11. In *Palpitatione*.
12. In *Febribus*.

In

In quibus omnibus *opium polichreſton* eſt, *temperando acredinem*, & *cohibendo convulſivos motus*, id circo aliis remediis permiſceri, aut ſubinde intercalari débet his in caſibus, ſed In *mania doſis* aliquando quadrupla, vel major requiritur in primis, ſi *humectantia*, & alia addantur, ſic in *delirio* quo vis non verendum etſi magis ab *opio* delirare videantur : in *Epilepſia* mire juvant *anodina* cum ſale volatili, & *oleoſis amaris*, imo tempeſtive data arcent inſultus, unde nequidem infantibus ab *opio* cum *temperantibus* mixto abſtinendum ita *ſingultus*, & *aſthma* vix ſine *opiatis* ſanantur, verum adeo neceſſaria ſunt,

In tuſſi

Ut *recentem tuſſim*, & *ſiccam* una alterave *doſi*, ſæpe curaveris, in *humida* vero, quando *ſputa* nimis tenuia, nihil adeo ea incraſſat, & cum vel craſſiora ſunt tuto cum *bechicis attenuantibus* exhibentur, ut acredo contemperetur, dum *viſciditas* incidatur. Imo in *phtyſi* & confirmata *tuſſi*, quæ ſæpe incurabilis, nihil adeo lenit tuſſim, & vitam reddit tranquilliorem, cum vero *tuſſi*, adeſt *pluritis* vel *Peripneumonia* omnem paginam implent cum *abſorbentibus*, oleoſiſque & ſæpe *ſudoriferis* opiata, non omiſſa V. S. recrudeſcente dolore, ita in *palpitatione* cum *abſorbentibus opiata* bona, hinc etiam in ipſa *ſyncope*, quæ ab *hyſterica paſſione* aut *malo hypochondriaco*

prove-

provenit, nam in his casibus *acredo* & *motus convulsivi* peccant, & memoriabilis historia est, quam *Willis* recenset, ab opio quod somno provocando dederat fæminæ, quæ *hydropem* patiebatur, jam desperatam, tandem exitatos fuisse sudores, & ægram præter omnem exspectationem convaluisse, tandem.

In Febribus.

Laudabile *opium*, tam in *intermentibus*, & vel ipsa *quartana*, quam in continiis, sed nunquam absque *temperantibus sudoriferis* & dictis *antifebrilibus*, ceu usu jam toties à cordatis recentioribus compertum, & annuit ratio ;· nam ab *acredine* vellicante, & *motibus convulsivis febris* efficitur, quare hi compescendi, *in crassatione*, *retardationeque*, ista vero temperadi. Unde nequidem *in variolis* & *morbillis* vel ab initio cum erumpunt, opio abstinendum, utpote à quo *eruptio* non cessabit, sed *dosis* sit *mitior*, quia *succi* hic valde *crassi* & *acres* sunt, ac *concretioni* proximi, sed in his 10 affectibus, & quicumque cognati sunt, aut complicantur, in usu *opii* ad superiores canones attendat Medicus ita nihil est, quod metuat.

II. *Extraordinaria utilitas* vel potius *operatio*, quæ subinde & propter certa quædam, quæ subincidunt, evenit. Nam compertum est aliquando &

I. *Vigilias* potius, quam *somnum* exitasse. Nimirum si *succum nerveum* paulo crassiorem reddit *opium*, atque ab alia causa concurrente, *motus* in *sanguine* major sit, aut fiat. Non somnus sed pertinaces *vigiliæ* fient, quia *succis crassis* sed valide *motis* non facile quietem concedit, nec adeo dissipatur.

II. *Vomitum* movere, quem alias compescere solet. Id vero evenit vel

1. à *dosi magna*: sic qui dragmam 1. vel pluris vocarunt ut se interficerent, vomitu rejecerunt, tantum onus non ferente, non dissolvente stomacho, sed irritato, & se ad expulsionem contrahente,

2. à virium imbecillitate, & sic una quoque *ventriculi* primo quidem *somnum* facit, sed vix evigilarunt, quin *nausea* affligentur, & tandem *evomunt*; quod fit, quia *succus nerveus* parcior ab *opio* insuper incrassatus, *fibras motrices stomachi* minus inflat, hinc motum suum, quo contenta deorsum urgerent, servare nequeunt, tum ab *acredine succorum*, & ea, quæ in ipso ventriculo ab *opii* fæce remansit, eo, quod *dissolutio* minus completa sit in tali casu, insuper ab *acribus humoribus*; qui hic & in *intestinis*, *pancreate* ac *hepate* copiosius durante somno secernuntur, *ventriculus* irritatus ad *vomitum*, unde is non affligit nisi *debiles*,

teneros,

teneros, *mansuetos* & quorum *ventriculus* ac *intestina bile* viscida & *acri* scatet, quibus *opium* veluti emeticum est,

III. *Alvum subducere*, quod ad eum modum, uti de vomitu dictum est, accidere subinde potest in iis, qui alvo faciles sunt, & habent *acrium succorum copiam in intestinis crassis*,

IV. *Sudores ciere* : id quod *opii* effectus, non tam extraordinarius est, ita ut frequentissime *sudores* moveat, & hanc unam *excretionem* non supprimat, uti alias omnes, sed quasi excitet. Verum quod hic plane stupendum, *opium sudores* non cohibet, sed movere videtur, attamen in iis, qui *nimiis sudoribus* tenentur hos impediet *opium*, nempe sudor plerumque à somno fit, aut facilius in eodem, ergo *opium* quatenus *somniferum*, etiam *sudoriferum*. Deinde non sudant, qui sani sunt, & robusti, atque *succis subtilibus*, bene onusti : Jam opium incrassat, & retardat, adeo debilitat, hinc sudor, hoc magis quod ne fiat *sudor*, *cutis fibra*, *succo nerveo subtili* arrigari & tendi debet, ut *cutis* strictior sit, ejusque *glandulæ* compressiores, quod ad *transpirationem* satis est, jam ab *opio* incrassato, retardatoque *succo nerveo fibræ cutis* etiam non nihil resolvuntur, tensioque minor fit, mox tubuli *glandularum* reservan-

tur, hinc data porta ruet humor; cum in toto ſit diminutus *ſuccorum motus*, adeoque *tranſpiratio* retardata ut jam *inſenſibilia* non adeo expellantur, ſed *humor* ſive liquor, qui in cutem exſtillat; eam actionem adjuvat *quies membrorum à ſomno*, & *lecti calor.* Maxime autem particulæ *ſalis volatilis*, quæ in *opio* ſunt, quæque demum extricare ſeſe incipiunt, poſt tot in canalibus multiplicibus, atque à multis ſuccis ſolutiores; contra qui *ſudoribus* laborant, ab opio levamen ſentiunt, quia in his *ſuccus nerveus*, & alii ſunt nimis *aquoſi* & *acres*, ita ut tubulos & *fibras motrices* erodant, & eliquent, hinc *membranarum* omnium & *cutis* quoque *teneritudo*, *macies*, *laxitas* & quaſi *colliquatio.* Hos malos quodammodo medetur *opium*, ſed cum abſorbentibus, & adſtringentibus, coagulando, incraſſando, retardando & temperando imo *ſomnum* provocando, à quo teneræ partes uberiore *ſucco nutritio* irrigatæ qui in *ſomno* maxime diſtribui ſolet, reparantur, & minus flaccida redditæ magis detinent *ſuccos ſuos*, itaque *ſudore* moleſto liberantur.

§ 4. Sic ergo non minimam partem methodo *medendi*, & potiſſimam *curationem morborum* exhibuimus. Nam cum *acredo* præcipua cauſa ſit omnis pœne mali, atque ea *temperando* curari debeat, *temperantia* præcipua ſunt artis *medendi*

auxilia

auxilia sed ideo non præcipua tantum, sed unica sunt, quod ratione *materiæ* & *virium* ea, quæ *temperant* reliquorum auxiliorum *virtutes* possideant, ut §. 5. capitis proxime præcedentis ostensum est.

Moventia quæ vitium *tarditatis* emendant, ut & *attenuantia*, quæ crassitiei, *dissolventia*, quæ *concretionis*, ac *aperientia* quæ *obstructionis* errorem corrigunt, omnia quotquot sunt ratione materia ipsissima *temperantia* existunt tantum si *oleosa* & ex *absorbentibus adstringentia* exceperis, quæ non concitant *motum*, nec *attenuant*, nec *dissolvunt*, nec *aperiunt*, nisi quatenus *acidum* in *crassans* temperant. Proinde de horum *utilitate*, *usu* & *applicatione* iidem teneantur canones, quos adduximus supra §. 2. nam juxta eos administrari debent in omni pœne morbo.

§. 5. Verum cum hic inverso ordine contra ac solent scholæ, & Medici pene omnes, qui vel artem describunt, vel exercent, primas tribuimus *temperantibus*, & inde ex iisdem *moventibus*, attenuantibus, atque *aperientibus*, operæ pretium erit, ut quid valeant, quid noceant. *Evacuantia* clare ob oculos statuamus, quo sic *medendi* artem nitori suo & decoro restituamus: nam quia *curationem* ferme omnes in *evacuando* collocarunt Medici, vel idcirco male audit Medicina, quæ adeo crudelis est, ut non dicam *mortalis*, & vero *evacuationem* esse de eo genere *remediorum*, quæ rarius in usum trahere oportet,

 evin-

evincemus, nam uti aliquando membrum aliquod ense recidendum est, ne pars cincera trahatur, ita subinde *humores*, qui nequeunt emendari, debent expelli e corpore. Jam quot ac quanta sint *Evacuantia* ex superiore capite constat, nos autem, ut magnas utilitates *evacuantibus* illis, in quibus scholæ voluntantur, non adscribimus; ita primum locum damus iis, quæ vix *scholæ* videntur agnovisse, quæque in se ipsissima *temperantia* sunt, & *temperando* evacuant, itaque inter *evacuantia* non tantum prima nobis sunt, sed & præcipua ea, quæ ante appellavimus.

I. *Diaphoretica* quæ qualia sunt, & quantum excellant, præ cæteris *evacuantibus*, antea diximus id hoc loco monendum esse, hæc esse illa de schola *chemicorum arcana* quibus gravissimi & alioqui insanabiles *Morbi chronici* curantur, in quibus ordinaria methodus quæ utrumque in *acutis* subinde *successu* fælici non destituitur, partim quia *acuti* ipso suo cursu & velut impetu ad finem properant & ægros vel jugelant vel manu mittunt, vel in chronicum conficiunt, etiam sæpe citra ullam artem, in quibus inquam *chronicis* cum *ordinaria methodus* coacta est discere, atque plures *morbos* sibi esse incurabiles quasi confiteri; hæc *arcana* sunt, hæc *diaphoretica*, quæ *viscosum* illud attenuando, *acredinem* temperando, utrumque vero per insensibilem transpirationem expellendo, tandem pertinacissimos

mos morbos ſuperant, & exſtinguunt, ut ea propter uſus eorum debeat eſſe multo frequentior, miſſis tot aliis quibus miſcere torquentur, & non raro enecantur ægri ipſo *morbo*, & *ſymptomatibus* aliis ſat ſuperque afflicti his proximo loco adjungemus.

II. *Sudorifera*, quæ nonnullis *acutis* dicata videntur, uti *diaphoretica chronicis* omnibus, ſed merito dubitatur, an *ſudorifera* juverint, eo quod *ſudores* cieant, imo ex parte *diaphoreſin* promoveant, ut quæ *ſudorem* conſequi facile poteſt, quia *ſanguis* valde attenuatus, & inordinate commotus, etſi tunc *tranſpiratio* minor ſit, deinde tamen reſtitutis poterit copioſe *tranſpirare*. Id etiam confirmat uſus jam frequens *ſudoriferorum*, quæ ſic uſurpata ſunt, ut nullam aut paucum *ſudorum* excitaverint, interim eadem ſubſequente *utilitate* & *effectu*, ad hæc nuncquam *ſudor* à *ſudoriferis* famoſis exitatur ſine *virium jactura*, *anxietate* & *macie*, imprimis *ſuccorum*, ita ut *ſudorifera* ſaltem ideo minus tuta & jucunda eſſe debeant, quod non modo non medeantur *defectui ſuccorum* ſed eundum augeant, quodque non modo *vires* non conſervent, aut reſtituant, ſed dejiciant. Verum quid multa: ubi quæſo reperiuntur *ſudorifera*? id quidem negari non debet ab iis, quæ *ſudorifera* audiunt, ſubinde *ſudores* ſubſequi, ſed ita utpotius à *morbo* dependeant, aut *calore lecti*, *balnei*, foci vel *fomentorum*: Hæc enim niſi adjuverint, ubi

&

& quando à *ſudoriferis ſudorem* quis certo expectabit, uti ab *emetico vomitum* & à *cathartico* alvi *ſubductionem*? Unum vero & omnibus reliquis utilius *ſudoriferum* in *potione calida* & quidem præcipue *theæ*, reperitur, qua *ſudores* non modo moventur, quoties libet, iis etiam, qui alioqui non poſſunt ad eos cogi, ſed adeo facile jucundeque perrumpunt, ſimul & copioſe, ut nihil facilius jucundiuſque deſiderari queat imo quod hic plenè novum, hæc *ſudatio* plane *tuta*, & ubi alia omnes angunt, atque debilitant, hæc *vires* non dejicit, verum auget, licet indies celebretur. Ad id mox deſideratur, ut experientia fiat, utrum acutis tam felix ſit, quam *chronicis*, & ipſis etiam *ſanis*, nam qui *acutis* laborant, *calidum* ſæpe *potum* non ſorbent commodo, & *frigidum* ardentiſſimè appetunt, ratio tamen eum jubet in uſum trahi, & futurus eſt multis de cauſis utiliſſimus, nam diluit, defectum reſtitituet *aquæ*, temperabit, attenuabit, movebit, & ſi quid educendum, educet, ut ergo *potus theæ* in *chronicis* pariter & in *acutis* convenit, ita ordinario *acutis* aplicantur *famoſa* illa *ſudorifera*, quæ vel *temperatiora* ex invertentibus, vel *calidiora* ex *ſale volatili* & *maxime* oleoſis atque amaris, vulgo *calidis* exiſtunt: his utuntur in *acutis morbis*, quando *calores* non ita urgent, aut *malignitas* adeſt: illis vero in majore *fervore*; ſæpe etiam ambo hæc commiſcentur, aut præmiſſa una vel altera doſi *calidiorum*, demum *temperatiora* uſui

ſunt

ſunt, atque hæc methodus bona eſt, modo ne *ſudores* cogantur, cum præſtet nullum quam coactum prodire *ſudorem*, id tamen in *variolis*, morbilliſque advertendum, ne *calidiora* nimium exagitent craſſas atque *acres* particulas, quas ſubito ſubigere expellere nequeunt, imprimis cum in hôc caſu omne *calidum* debilitat, & incraſſat, quatenus *ſubtiliores* particulas expellit, hic ergo & alibi, ut valde craſſi & *acres ſucci* ſunt, lento gradu procedendum per temperatiora niſi fuerit malignitas, tunc ſubito *calidiſſimis* tam grave malum tollendum; at in *chronicis* alia quædam *ſudatio* celebris eſt, nec plane contemnenda ûtpote qua pertinaces morbi aliquando expugnantur, ita ut *Verulamius* eam crediderit utilem eſſe ad *vitæ prolongationem*, inſtaurando ſc. *novos ſuccos* malis antea abſumptis, & vero quia hæc *ſudatio* ex *potu* conſtat, primùm ſaltem convenit *defectui ſuccorum*; deinde *temperat* & *attenuat*, *movetque* ac *deobſtruit* potenter, quia ex *aquâ diluente* & *lignorum* in primis particulis *reſinoſis*, *oleoſis* & *ſalinis* conſtat, ubi tertium & quartum quoque commodum reperitur, nam ratione *materiæ* hoc ſudoriferum, ſi ex *ſalſaparilla* & china componitur, iis convenit, qui calida minus ferunt, ſi ex *guajaco ſaſſafras* aliiſque jam *frigidiores* juvat: ultimo hoc modo omnes *ſucci* emendantur, quia non tantùm temperantur, & attenuantur, ſed expelluntur, uſque ad *maciem* & ſummam extenuationem, prohibente *tenuiſſimo*

victu & fermè *medio*, quam hic imperare solent, ne *ſucci mali* de novo generentur. Idcirco ægri tam ſevera *abſtinentia* & variis *ſudationibus* ſpatio aliquot hebdomadarum emaciati, tandem optimo victu novos & non niſi bonos *ſuccos* generant; quia *expulſis* omnibus & ſuperſtitibus temperatis attenuatiſque, novus *chylus* ex laudabili alimento adveniens bene nutrit, hinc in hac cura pertinaciſſimæ *obſtructiones læſioneſque canalium* etiam ſanari ſolent, ita ut *duriſſimi tophi*, *vitiaque cutis*, & oſſium, alioqui incurabilia, diſpareant, nam in illa *abſtinentia* & *ſudatione* adeo *ſucci* moventur, attenuantur, & expelluntur, ut impetu illo valido & diutino graves *obſtructiones* referentur, ac *ſucci concreti* & *ſubſiſtentes* diſſolvantur, & in novum circuitum abripiantur, ſed hæc methodus non *cito* nec *jucunde* curat, imo ſæpe non admodum *tuto*, quia *morbi* aboliti quidem videntur, ſed tandem recrudeſcunt, & multi non ferunt tantam *inediam*, & tot ſudores: qui vero *macie* tentantur, ita ſæpe intereunt, quare alio modo & leviore *ſudatio* hæc inſtitui debet, ut ſc. rarius ſudent, nec *victu* tam *tenui* utantur, atque hæc methodus tuta, *jucunda* & *efficax*, eaque meretur cùm Verulamio appellari *inſtauratio* hæc autem in multis *chronicis* utilis eſt, in *Lue Venerea*, aliiſque plane neceſſaria, ſed in *hydrope* primario convenit, ita tamen ut ab *externo igne* potius quam à *remedio* inſtituatur *ſudatio*, tandem *ulcera inveterata* hoc modo feliciter perſanantur. III. *Diu-*

III. *Diuretica* ratione *materiæ* non alia sunt quam *temperantia*, ut antea ostensum est: verum an ab effectu, qui tam rarus est, denominari debeant, quæ casu potius *urinas* pellunt, merito dubitatur, & gravius hic errant, qui *diureticorum utilitatem* in *diuresi* collocant, quam qui *sudoriferorum*, in *sudore*. Nam *urinæ provocatio* & *effluxus* in nullo morbo juvabit, quam in *suppressione* ejus vel tota vel aliqua: alibi si *diuretica* profuerunt, *temperando* & *attenuando*, non vero *urinam* copiose pellendo prosunt; at vero & quatuor speciebus *diureticorum*, nimirum *oleosorum*, quæ lubricant, aqueorum, quæ lotio materiam prebent, *salinorum*, & etiam acidorum, quæ stimulant, ubi *cantharides* præcipuæ sunt, item *vermes*, & alia *caustica*, ex his inquam, *acida* minus tuta sunt, & *salina* sæpe minus acria, ita ut *dolores*, *ardores* & *inflammationem vesicæ* cum mictu sanguinis inducant, cæterum exiguo cum fructu, qui etiam sine *diuresi* & illa molestia, vel periculo à solis *temperantibus* haberi potest, *oleosa* autem parum movent *lotium*, & vana plerumque illa lubricitas, quam induceret, sed *aquea* valde conducunt, in primis *calide pota* & *sali volatili oleoso* prædita, hinc *Theæ potus* maximum est, ut *sudoriferum*, ita *diureticum*, ut ab hoc, si quid commodi sperandum ex *diuresi*, insignis esse utilitas debeat & vero fatendum cum *urina* copiosa *acredinem* multam educi, adeo ut hac potione præ aliis omnibus *succi* videantur egregie tem-

perari debere, ſed & *craſſos* attenuari, ita quoque in hac ſpecie *diureticorum thermæ* ſive *aquæ minerales* pleræque conſiſtunt, utpote quæ *urinam* pellunt, id eſt in *lotium* tranſeunt, & ſub inde cum *canales* omnes pertranſeunt, qui aperti ſunt, eos, qui obſtructi reſerant impetu ſuo, cæterum *acredines*, craſſitieſque & corrigunt, & educunt, ſæpe tamen lædunt, ſive quod *mineralia acribra* contineant, ſive quod *frigida* contineant ſive quod *frigida* fuerint, & hinc *imbecillioribus* ac *frigidioribus* nocent, & quandoque *phtyſin* vel *hydropem* inducunt.

IV. *Bechica*, quæ non alia ſunt, quam *temperantia*, ita ut in eorum uſu id monendum veniat, ne illa, quæ ad *incidendum* exhibentur, quaſi *excretio* ſputorum adeo foret promovenda, cum potius impediri debeat ne generentur, ſed qui *acidis* aut *dulcibus* hic abutuntur, peſſime ægris conſulunt, & non modo *ſtomachum* pervertunt, ſed tabem & *phtyſim* producunt.

V. *Salivam moventia* trium generum, *Errhina* ſc. ſive *ptarmica*, quæ *ſternutationem* concitant, *apoplegmatiſantia*, quæ maſticata ſalivam ex ore eliciunt, & ultimo quæ *ptyaliſmum* concitant, priora an ullam utilitatem præſtent, dubitatur nam quod a *cerebro pituitam* eliciant, error eſt, ſunt tamen qui *phlegmà* affligi ſolent, quos *errhina* vel *apoplegmatiſantia* juvare videntur, qui autem *tabaci fumo utuntur*, ut ſalivam copioſe egerant, toto cælo errant, cùm alia ratione

proſit

profit *tabaci fumus*, ut Turcis in more ſit tota die eundum haurire abſque *ſputatione*, ſed

Ptyaliſmus à Mercurio.

Quam habeat utilitatem, & qua cum circumſpectione inſtitui poſſit ambigitur, enimvero funeſta exempla multa ſunt, ſed alia etiam, ubi bene ceſſit: hinc in *Lue* Venere percelebris uſus *Mercurii* & alii ad alios morbos etiam applicarunt, ſed fructu plerumque exiguo. Hinc fateri debent *Podagram* & alia mala nuncquam Mercurio curari, imo ipſa illa *Lues*, cujus ſpecificum Mercurius creditur, & *Ptyaliſmus*, ſæpe non tantum non curatur, ſed efferatur; eluditque vel quartam aliquando *inunctionem*, tum vero adhuc à *ſudatione* ex guajaco, &c. ſæpe depellitur, crudelis etiam eſt Ptyaliſmus, & ulcera doloris plena, *virium imbecillitatem*, *anginam*, *dyſenteriam* & non raro *mortem* poſt ſe trahit, quod ſi autem bene videatur ſuccedere, poſt longum tempus *caries oſſium* & intollerabiles *dolores*, imo ſubinde *cæcitas*, *ſurditaſque* ſequuntur, qui enim ſibi imaginantur, Mercurium tantum eſſe infeſtum, errant: Nam *Mercurius in ſanguinem* tranſit & univerſum corpus, *acidumque* omne in ſe ſorbet, præcipitatur, fit acris, & rodit in *ore* quidem, ut conſpicuum ſit, ſed alibi non minus rodit, ceu *ſymptomata* teſtantur, unde periculum non minus, & vel illud, quod qui *Ptya-*

lismo tentantur, non audeant in frigidum *aërem* prodire, quin suffocentur, aut angantur, unde nemo prudens hoc remedio utitur, nisi in desperatis casibus, ubi omnia alia præsidia nihil juvant, ut autem frigus periculosum, ita hanc curam facilius tolerant, & nihil ferme conquerentur *Galli*, *Itali*, *Hyspani*, & *Indi*. *Germanis*, *Anglis*, *Belgis*, &c. sub frigidiore aëre, crassioreque vita sæpius mala curatio est, idcirco etiam juvenes facile ferunt Mercurium, & vir magis quam *fæmina*, quæ ut plerumque *pallidiores* sunt, quam viri, ita post *Ptyalismum* admodum pallere solent, id quod *viris* subinde accidit, ut à 2 vel 3 *Ptyalismo* in facie retineant colorem fusco-pallidum, & veluti *cadaverosum*, cum habitu oris *fætidissimo*, *casu dentium* aliisque; quod si tamen institituatur, ut lento gradu *Ptyalismus* moveatur, & *Mercurius* potius per cutem, quam os ingeratur, *in inunctione* sc. vel *emplastro*: nam *fumus* multo perniciosior, qui inter alia *tremores* & *Paralyses* inducere solet, uti etiam accidit metallorum *fossoribus*. in *inunctione* ne sit nimium Mercurii, unde ejus unciæ IV. cum libra semi pinguedinis, & una *therebinthinæ*, sufficiunt, hujus mixtura unciæ III. vel IV. inungantur, *plantis* pedum, *cruribus*, *brachiis* & *schapulæ*, *spinæ* ac, non vero abdomini, & bis vel semel in die inungantur, sic tertio die incipiet *salivatio*, quæ si non fiat, quarto die adhuc bis inungantur, ne tamen inunctio perseve-

rat

ret ad octo dies, quod si *Psysalismus* sit nimis vehemens, *auri* frusto in ore detento, Mercurius eliciatur: *anodyna* & *temperantia* exhibeantur, *acida* autem & *frigus* fugiant *ægri*: quod si *dysenteria* & *stranguria* advenerint, *lac* conducit, quod etiam una cum *jusculis* & *bocheto* pro potu ordinario & cibo venit iis, qui jam *Ptyalismo* laborant.

Ut ego Majores, sic me coluere minores,
Disce puer virtutem ex me; verumque laborem,
Justitiamque, Deum scis purâ mente colendum.
Multa feras, faciasque puer! sudabis & alges
Ut dignus venias hederis, & imagine macrâ!
Spes nulla ulterior! didicit jam dives avarus
Tantum admirari! tantum laudare disertos,
Ui pueri Junonis avem; sed defluit ætas
Et Pelagi patiens, & Cassidis, atque Ligonis.
Tunc se suamque Tpersichorem odit, nuda atque facunda senectus,
O misera virtus, nomen inane, te quidem
Ceu rem colebam! at tu Fortunæ serva eras.
O Fortuna viris invida Fortibus!
Non equidem invideo, miror magis!
Quam indignis præmia dividis! Scilicet
Præmia si tollas periere Palladis artes,
Adeonè scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter
Marcet sine contrario Virtus.
Tu contra audacior ito! nec terreas Personâ:
Stes ceu Marpesia cautes,
Te teneo, teneant te superflua Divi.
Claudite jam rivos pueri, locus hic sacer est, sat prata biberunt.

Finis Coronat Opus.

Boot. Cap 7. de oris
Hæmorrhagia periodica —
Jacob: usserii archiepiscopi.

Cap. 10. de Labrosulcio seu
Chilocace. Malum hoc
nonnullis sponte aut levibus
remediis sanescit, ast plerumque
si diutius negligatur aut perperam
curetur, contumacissimum evadit
ita ut postea difficillime tollatur.
Cap 12. Tabes pectorea. Ego
autopsia deprehendi rem ita se
habere, neque unquam mihi adhuc
infantis dicto morbo defuncti, corpus
aperire contigit, in quo non prægrandis
quomodo hepar reperiatur.